

hereticorum .superfluas existimantium sacras uigilias .
& spiritali opere infructuosas .dicentes .Iura temerari
diuina .qui noctem fecit ad requiem .sicut diem ad la-
borem .Qui heretici greco sermone . $\nu\nu\varsigma\alpha\gamma\eta\sigma$.nyctages .
hoc est somniculosi uocantur .Iste autem est catholicus
ordo diuinarum celebrationum . qui ab uniuersa ecclesia
Christi incommutabiliter seruatur .

DE CAETERIS LEGITTIMIS
ORATIONIBVS .

Ca. X.

Vnt et alie orationes legitime . que sine ulla
s admonitione debentur . ut est illa quam dicimus
ante inceptionem alicuius operis domini adiu-
torium postulantes . Nec enim decet Christianum aliquid
opus sua presumptione incipere . antequam studeat dominum
in auxilium aduocare . quia ipse dixit . Sine me nihil po-
testis facere . Humiliter ergo aduocatus . dignatur nos
adiuuare . sicut de ipso scriptum est . Inuocauit me inquit
& ego exaudiam eum . cum ipso sum in tribulatione .
eripiam eum & glorificabo eum . et reliqua . Sed et cibum
non prius sumere licet . quam interposita oratione . prio-
ra enim habenda sunt spiritus refrigeria quam carnis .
quia priora sunt celestia quam terrena . Similiter autem
& post cibum orare conuenit . ut domino pro suis donis
gratie referantur . ut illud in hoc compleatur psalmiste
quod dicit . Edent pauperes et saturabuntur . & lauda-
bunt dominum qui requirunt eum .

DE PECULIARIBVS ORATIONIBVS .

Ca. XI.

Eccliarum autem orationes . pure & frequenter
p facere . & bonum et laudabile est . quia multorum
patrum exempla id nos facere suadent . ipse dominus
etiam suo magisterio hoc docere nos dignatus est dicens .
Tu autem cum oraueris . intra in cubiculum . & clauso
ostio ora patrem tuum . & pater tuus qui uidet in abscondito

reddet tibi. Sed et hoc non in clamosa uoce faciendum est. sed cum intentōne cordis. & compunctiōne lachrymarum. quia hoc modo nos exaudiri a dño credimus dicente psalmista. Exaudiuit dominus uocē fletus mei. & reliqua. Et itē. Sacrificiū deo spiritus contribulatus. cor contritum et humiliatum deus non spernit. Nam assidue et instanter orare. ipsa ueritas nos docuit cum dixit. Petite & dabitur uobis. querite et inuenietis. pulsatē et aperietur uobis. omnis enim qui petit accipit. et qui querit inuenit. & pulsantē aperietur. Et ut exēplo aliquo eandem rem magis suaderet. parabolam de homine in medium. qui amicum suum in conclauē positū de tribus panibus postulauit. et panis. et lapidis. piscis & serpentis. ouis et scorpionis comparationem faciēs. nouissime ita narrationem conclusit. Si ergo uos inquit cū sitis mali. nostris bona dare filiis uestris. quanto magis pater uester de celo dabit spm̄ bonū petētibus se.

DE QUADRIPERTITA SPECIE

ORATIONVM.

Ca. XII.

Rationum ergo speciē. apostolus quadripartita ratione distinxit. ita dicens. Deprecor itaq; primo omnium fieri obsecrationes. orationes. postulationes. gratiarum actiones. que non inaniter ab apostolo ita fuisse diuisa minime dubitandum est. Nō enim credendum est aliquid transitorie ac sine ratione spiritus sanctum per apostolum protulisse. ac ideo primus indagandū est. quid obsecratione. quid orōne. quid postulatione. quid gratiarum actione signetur. deinde perquirendum. utrum hec quattuor species ab unoquoq; orante sint pariter assumendę. an alius quid obsecrationes. alius orationes. alius uero postulationes. aliusq; gratiarum actiones deo debeat exhibere. Sed mensuram scilicet etatis sue. in qua una quęq; mensuram intentionem proficit. & industriā unumquęq; oportet